



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**EXERCITIA || SPIRITVALIA || IGNATII DE || Loyola.||**

**Ignacio <de Loyola>**

**Mogvntiae, 1600**

**VD16 I 56**

Additiones ad exercitia melius agenda.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45165**

*ADDITIONES AD EX-*  
*ercitia melius agenda, & ad ea quæ*  
*optantur, inuenienda,*  
*perutiles:*

**P**RIMA est: vt ego, post cubitum,  
 ante somnum, modico temporis  
 spacio, quo recitaretur semel an-  
 gelica salutatio \* cogitem de hora,  
 qua surgendum mihi erit, & de exer-  
 citio faciendo.

\* b

**S**ECUNDA: vt expergefactus, statim  
 exclusis omnibus aliis cogitationi-  
 bus, animum ad illud applicē, quod  
 in primo mediæ noctis exercitio  
 contemplaturus sum: Vtque, maio-  
 ris verecundiæ, & confusionis gratia,  
 exemplum mihi huiusmodi propo-  
 nam: Quomodo miles aliquis staret  
 coram rege suo & cœtu aulico eru-  
 bescens, anxius & confusus, qui in re-  
 gem ipsum, acceptis ab eo prius be-  
 neficiis donisq; plurimis, ac magnis,  
 grauitè deliquisse conuictus esset.

In se-

In secundo itidem exercitio; reputans quantum peccauerim, fingam me catenis vinctum esse, ac protinus sistendum coram summo iudice sicut mortis reus quispiam, ferreis ligatus compedibus duci ad tribunal solet. His igitur, vel aliis, pro meditando rerū genere, cogitationibus imbutus, vestitu meo me induam.

**T**ertia: vt à loco futuræ meditationis, vno, vel gemino adhuc passu distans, per tantillum tempus, quo percurri oratio Dominica posset, animo sursum eleuato, considerem Dominum meum IESVM, vt præsentem, & spectantem; quidnam acturus sum; cui reuerentiam cum humili gestu debeam.

**Q**uartæ est: vt ipsam aggrediar cōtemplationem, nunc prostratus humi, & pronus, aut supinus iacens; nunc sedens, aut stans, & eo me componens modo, quo sperem faci-

lius id

lius id consequi, quod opto. Vbi ad-  
 uerti hæc duo debent: Primū, quod  
 si flexis genibus, vel in alio quouis si-  
 tu, voti compos fiam, nil requiram  
 ultra: Secundum, quod in puncto, in  
 quo assecutus fuero quæsitam deuo-  
 tionem, conquiescere debeo sine  
 transcurrendi anxietate, donec mihi  
 satisfecero.

**Q**Vinta: vt completo exercitio se-  
 dens, vel deambulans, per quar-  
 tam circiter horæ partem, mecum  
 dispiciam, quonam modo medita-  
 tio, seu contemplatio mihi successerit.  
 Et si quidem male; inquiram  
 causas cum pœnitudine, ac emenda-  
 tionis proposito: sin vero bene, gra-  
 tias D E O agam, eundem postea mo-  
 dum obseruaturus.

**S**exta: vt cogitationes quæ gaudium  
 afferunt; qualis est de gloriosa  
 C H R I S T I resurrectione, subterfu-  
 giam: quoniã talis quælibet cogitatio

impe-

impedit fletum, & dolorem de peccatis meis, qui tunc quærendus est; adscita potius, mortis vel iudicij recordatione.

**S**Eptima, vt eandem ob causam, omnimè priuem lucis claritate, ianuis ac fenestris clausis tantisper, dum illic moror, nisi quandiu legendum aut vespendum erit.

**O**Ctaua, vt à risu, verbisque risum prouocantibus, maximè abtineam.

**N**ona, vt in neminem oculos intendam, nisi salutandi aut valedicendi poscat occasio.

**D**ecima, vt aliquam addam satisfactionem, seu pœnitentiam. Quæ quidem in interiorem & exteriorem diuiditur. Interior est, dolor de propriis peccatis, cum firmo proposito cauendi, tum ab illis, tum ab aliis quibusuis in posterum. Exterior autem, est fructus interioris; videli-